



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Nihil age vulgare; quod plerique. Veteri. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

bilitas, ut totius Mundi unguenta minus pretiosa essent ad ejus contactum, & perfusionem, ait illis: *quid molesti &c.* Dionys. Carth. hic.

Erant iusti ambo ante Deum. Luc. 1. 6. Hebraea phrasi *coram Domino* est; quod undequaque absolutam haberent virtutem. Cum enim Scripturae aliquid magnum, & excellens, significare volunt, usitata phrasi dicunt: *coram Domino.* Stella hic.

Quos benefaciens deduces dignè Deo. 3. Joan. 1. 6. *Dignè Deo*, id est, tali modo, qui dignus censeatur Deo. q. d. divine, regie, largiter. Moraliter: examinet se quisque Fidelis; an opera ejus sint plena, perfecta; & tam praestantia, ut sint digna Deo? an agat, & vivat, dignè Christo. Donum, quod regi offers, non quale, quale; sed eximium, & regium, esse de- cet. Hoc ergo tibi in omni opere, ut id excellenter facias, sit stimulus: fac hoc *dignè Deo.* Et ut ait Eccl. 33. 23. *in omnibus operibus tuis praeclens esto.* Colos. 1. 10. *ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* Cornelius hic.

Quoniam magnum habes Dominum, sis tu quoque celsus; & te explica à rebus, quae ad hanc vitam pertinent. Sume Spiritus, qui superent praesentiam rerum humilitatem. S. Chrysof. in Pf. 144.

§. III.

Nihil age vulgare, quod pleriq;

Ex Veteri.

ERAT vir ille magnus inter omnes Orientales. Job. 1. 3. S. Gregorius mor. 1. c. 3. 4. Magnus non inter Occidentales, sed *Orientales.* Orientales viros esse praedivites, quis ignorat? *Magnus* verò inter Orientales extitit; ac si aperte diceretur: quia & divitibus ditior fuit. Did. Nis. Phoen. Gr. 1. 7. c. 8.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Pf. 44. 13. Nomine vultus, juxta Basil. Chrysof. Theodoret, Euthym, significatur Christus. Quarit Jacobus de Vorag. f. 42. de Quadages. cur non dicitur, pauperes deprecabuntur? illi verbo Incarnato supplices tendent manus, ut illorum inopiae sua largitate subveniat? Resp. ut Christi ostendatur potentia, & largissima affluentia; ideo dictum, quod *omnes divites*, non pauperes plebis, ad eum venturi essent. Hac enim excellens opulentia est, esse tam abundantem; ut ditissimi, si cum illo conferantur, videantur pauperes, & mendici. Id. ib.

Si ignoras te &c. Cant. 1. 7. Si nihil egregium post hac omnia, quae in te collata sunt, agis; neque temetipsum cognoscens à conversatione gregali sequestravis; eris non solum in grege, sed in vestigiis gregum. Ultimus enim fiet & novissimus; qui primatus suos non intellexerit. Origen. hom. 2. hic.

Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Cant. 4. 10. S. Chrysof. in Catena Graeca: maximum est, minores virtutis partes explevisse; verum multò majus est, in eo, quod summum est, summè curetis antecellere.

Non est inventus similis illi qui conservavit legem Excelsi. Eccl. 44. 20. Non dicitur, quod fuerit Legis diligentissimus observator, &c. sed quod *non est inventus similis illi.* Innuit: quod ab ipsa singularitate iusti probitas maximè nobilitetur. Carthuf. nemo tempore suo, quò Deo in sanctitate servivit, fuit ei aequalis in praclaritate virtutum, ac meritorum; sicut illud à multis exponitur: *nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Job. 1. 8. Sylveira in Matth. 10. 31.

Ex Novo.

Ubi est, qui natus est Rex Judaeorum? Matth. 2. 2. Unde Regem noscunt? *Vidimus stellam ejus.* Lucebat sole lucente; quia aliarum stellarum splendorem luce sua fugat. Si stella illa nocte luxisset, non haec tanta magnificentia fuisset. S. Istd. Pel. 1. 3. ep. 30. qui non ob adversariorum imbecillitatem, victoriam assequitur; sed ob virtutum suarum magnitudinem, fortes viros superat; clarus, atque illustris est; dignusque, qui publicum praconio celebretur: nam tum denique victor predicaberis, si summam virtute praedit os superes. Quod pignum gigas sternat, nec mirum id, nec magnum; sed si gigantem pignum vincat, gloriosum. Justinus hist. suæ l. 14. c. 4. de Antigono: tantò pulchrior haec Antigono, quam Alexandro, tot victoriae fuere; ut, cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, à quibus Oriens victus fuerat, superaverit. Did. Nis. D. 2. Epiph. §. 3.

Multis passeribus meliores estis vos. Matth. 10. 31. Luc. 12. 7. *Multis passeribus plures estis vos.* Tertull. l. de resur. carnis c. 14. multis passeribus antestare nos Dominus pronunciat: Si non & phoenicibus; nihil magnum. Homines semel interibunt, avibus Arabiae de resurrectione securis. Si enim phoenice non essemus praestantiores; nihil magnum: in actibus enim heroicis non solum debemus excedere vulgus; sed etiam eos, qui rari sunt, ut Phoenix. S. Hieron. ep. ad Pamach. de eodem: antequam Christo tota mente serviet, notus erat in senatu; sed multi alij habebant infulas singulares. Totus orbis hujuscemodi honoribus plenus erat. Primus erat; sed inter primos. Quamvis clarus honor, vilescit in turba; latent in multitudine lauræ. At nunc omnes Ecclesiae Pamachium loquuntur. Sylveira in Matth. 10.

Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. Veni, noli trepidare; sed curre: nihil enim te dignus, nihil Christo gratius, quam si ambules audacter super undas, quas ceteri navigio transmittunt. Hoc enim omnibus praestandum, qui Apostolos sectantur: praestantior nobis inunda via, quam vulgus non atterat. Eluxit hoc in Dei militibus. Samson maxilla. Judic. 15. 15. David fundam, contra hostes triumphavit. Si Deo militas, audeas necesse est, quod ceteri non solent. Cohors Gedeonis tota imbellis cogitur, inermis pugnat; non gladiis, sed sagittis, delat Madianitas. Judic. 7. 20. tubis Jericho

richo corrui. Judic. 6. 20. 2. Machab. 1. 20. 21. *Sacrificia, quae imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ accensus est ignis magnus.* v. 22. Mos Dei hic est; ex aqua ignem elicit &c. Oliva l. 5. Stromat. §. Domine, si tu es &c. Vide hic plura in hanc materiam.

Resplenduit facies ejus sicut Sol &c. Matth. 17. 2. Tunc Pater æternus v. 5. *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Cur non simul illum *videri* iussit? Certè talis erat; ut non minùs *videri*, quàm *audiri* mereretur: Vult, ut in Filio *admirerentur*, quò excidit reliquos. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Joan. 7. 46. Ut *viderent* Filium, non præcipiebat: quia, quæ in illo tunc, eadem in sole, in nive, *videri* poterant: quasi, *indicare* volens; non expectandos applausus, si hæc solum facias, quæ plerùmque vel ab omnibus, vel à pluribus, fieri solent. Did. Nifs. D. 10. Pent. §. 2.

Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Matth. 25. 6. Itane verò concubia nocte venit Sponsus? mediâ nocte, quando sopor profundissimus, inquit Hieronymus: nonne commodius venisset ad horam octavam, aut nonam; quando Virgines etiamnum pervigiles Sponso alacres occurrere potuissent? Cur tam intempestivus advenit iis horis, quibus plerique stertere solent? Reperisse in excubitu Virgines tunc; cum omnes pervigilant, nihil hoc magnum, nihil eximium fuisset; sed ipsomnes invenire, cum cæteri somno indulgent, id laude dignum. Id. ic.

Non sum sicut ceteri hominum. Luc. 18. 11. Levis gloriola est, sibi de hoc placere, quod communiter habent omnes. Si se sic Phariæus supra alios extulisset; & meliorem, sanctioremque, iis prædicasset; tolerari leus hæc potuisset; si tamen vera fuisset: sed quòd de hoc solum gloriatur; quòd non esset adulter, raptor; inanis jactantia fuit. Id. ib. Audi, præ quibus unctum se gloriatur? non magna gloria, non super aromata; sed super sulphura cæterorum. Gilbertus f. 38. in Cant. Qualis gloria? Si dicerem, quòd rosa florum imperatrix fragrantia suâ superet ardentem picem, ferventem resinam; vel sulphur, cum fumat, Did. Nifs. l. 7. Phœn. Gr. c. 8.

Ascendit in arborem. Luc. 19. 4. Nisi supra turbam te erigas, non videbis Christum. Multi è via Christum viderunt transeuntem; illi viciniore, quàm Zachæus: quibus spretis, unum Christum Zachæum elegit; quòd generosè in turba supra turbam se quaesierit. Oliva l. 13. Strom. hic.

Petrus affixus Cruci martyriò coronatus est; at in sublime pedibus elevatus crucem resupinus ascendit. S. Hieron. l. de Script. Eccl. Si quæras, cur Petrus contrâ, ac alii solebant, crucisfigi voluerit? Respondebit S. Ambros. ut ipse sibi exacerbare supplicium. Nihil singularis erga Christum amoris ostentare se Petrus existimabat, si more, & morte, communi occumberet: itaque resupinus, quòd inusitatum, crucem ascendit; ut faceret plus aliis, nam hoc facere, quòd vel omnes, vel plerique, faciunt,

non est gloriosum. Did. Nifs. D. 10. Pent. §. 2.

§. IV.

Perfectiois motiva varia.

Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Gen. 1. 27. Habet homo in creatione sua, ut sit ad imaginem, fiat ad similitudinem. Ubi tibi gratia? quamobrem coronaris? Si Creator omnia dedit; quomodo tibi patet ascensus ad cælum? Unum igitur dedit, alterum inchoatum reliquit: ut te ipse perficiens dignus fias, qui à Deo præmium, & mercedem, consequaris, S. Gregor. Nys. or. 1. in *faciamus hom.* &c.

Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus &c. Jos. 14. 12. Glosa: nihil humile, nihil dejectum, Sanctus requirit; sed montem excelsum; in quo sunt civitates magnæ, & munitæ. Naxera hic §. 35.

Decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3. 15. Syrus: *omnem rectitudinem.* Hoc est, quiddam justum est, & rectum, sanctum, & DEO gratum; nec quiddam tale recusare; etiam si humile sit, nec ullâ lege cautum; sed solum consilium, quale hic est, ut ego Christus baptizer à te Joanne, Cornelius hic.

In magna domo non solum sunt vasa aurea &c. 2. Tim. . 2. 20. Nos operam demus; & quantum possumus, laboremus; ut vas aureum, vel argenteum, simus. S. Cyprianus ep. 51.

Non invenio opera tua plena coram Deo meo. Apoc. 3. 2. Plena, id est, perfecta. Idq; 1. quia, ut arbor florida, sed infructuosa, pietatis habes speciem; non fructus, & opera &c. quia non est constans in bene agendo &c. Cornelius hic.

Sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, id est, ad cælestia, naturaliter erectum est; sic animus, qui substantiâ spiritualis est, ad ea, quæ sunt in spiritualibus excelsa, erigendus est; non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. S. August. l. 11. c. 5. de Trinit.

Is Domini nostri mos est; ut, quoties videt animam aliquam multò desiderio, promptitudinèque intentâ spiritualibus inhiantem; liberaliter illam gratiâ, & opulentis suis donis locupletet. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Talis in foro esto, qualis & in Ecclesiis: talis in rebus, talis in cogitationibus, talis in operibus, talis in verbis; qualis in confessionibus, accuratus, & perfectus. S. Ephrem. de penit.

Cogita iis animi affectibus justitiam inquirere, & ejus vestigiis eâ alacritate insistere; quâ venatores insistere solent. Ildorus Clarius l. 2. or. 10.

§. V.

Perfectio quid sit & in quo consistat?

Fuit vir unus. 1. Reg. 1. 1. Perfectio viri in præconio ponitur unitatis: ut, qui sæculum potenter despicit, mentem non dividat; Solis superis inhiet; ad ea tantum, quæ de visione Conditoris sunt, æterna gaudia suspiret. S. Gregor. hic.

Perfecta vita est mortis imitatio. Id. mor. l. 13. c. 7. III